



Gr. c B 53

Reise - Sammelbd.

Photograph  
B. 47.

Jah

35

ah

Q. D. B. V.  
**PROGRAMMA,**  
REVERENDISS ET GE-  
NEROSISSIMOS DOMINOS  
PATRONOS.

& reliquos  
DNN. MÆCENATES, FAUTORES, ET BONA-  
RUM LITERARUM ÆSTIMATORES,

Ad

**ACTUM ORA-  
TORIUM,**

De  
CONJURATIONE CATILINARIA,

M. T. CICERO

detecta, & publice vindicata,

Die 31. Martii Anni M. DCC. XIII.

in Schola Michaëlitana

A XII. ingenuis, & optima spei adolescentibus,

qvorum nomina seqventi pagina leguntur,

publice habendum,

Officiose & peramanter invitat

Eberhard Joachim Elfeld, Rector.

LUNÆBURGI, Literis Cornelii Johannis Sternii.

N 34



PROGRAMA  
RHURRENDIS ET  
HEROIS DOMINOR  
PAGINOR  
ACTUM ORA  
TORIUM  
CONTRATONE CATHINARI  
M. T. GEORIONE  
D. G. I. A. M. T. D. G. X. H.  
EPISCOPUS JOSEPHUS H. C. B. G. O.  
UNIVERSITATIS DOMINI NICOLAI

Nomina adolescentum, qvi in  
hoc actū declamabunt:

FRANCISCUS WILHELM FRANCKF, Wilhelmiburgo-Har-  
burgensis.

JOHANN WILHELM REINBECK, Luneburgensis.

AUGUST HENRICH BROMBERGER, Luneburgensis.

GOTTLIEB HANS LEMCKE, Ratzeburgensis.

PAUL WILHELM TAMM, Otterndorfio-Hadelensis.

JOHANN DRAKE, Osterbroca-Hadelensis.

JOHANN ANTON PHILIPPI, Wienhusia-Cellensis.

GUSTAV CHRISTIAN FRANCKE, Wilhelmiburgo-Harbur-  
gensis.

JOHANN STATS CONRAD KRAUTHAUPt, Wienhusia-  
Cellensis.

FVANCISCUS DANIEL POSSELIUS, Luneburgensis.

JOHANN SEVERIN SEEGER, Leoburgensis.

DETLEFF GIEBLER, Kilonio-Holsatus.



## L. B. S.

Niis laudibus, qvibus Marcum Tullium Ciceronem, cum lucis hujus usura frueretur, abundasse ex veterum & Græcorum & Latinorum monumentis cognoscimus, non postrema videtur esse ea, qvam ex Lucii Sergii Catilinæ seditione, ad interitum reip. Romanæ, & internacionem totius Italæ comparata, ubi eam prudenti consilio, non sine Deorum immortalium ope oppressit, & restinxit, consentiente & Senatus & populi universi suffragio, reportavit. Regia qvidem & egregia hujus virierat commendatio, & laus nunquam intermoritura, qvod genus suum duceret a priscis Volskorum Regibus, longa cognitione stirpi Regis Tulli Attii annexus; si verum est, qvod & Silius Italicus, vir Romæ non solum natus, & educatus, sed amplissimis etiam honoribus sub Imperatore Domitiano functus, lib. 8. Punicorum literarum monumentis consignatum reliquit: Tullius, (inqviens,) ærata raptabat in agmina turmas, Regia progenies, & Tullos anguis ab alto,

&

& Plutarchius Chæronensis, historicus magno in pretio  
Romæ sub Nerva, Trajano, & Hadriano Imperatoribus  
habitus, in vita Ciceronis commemoratus & Eusebium  
in Chronologicis, & Leonardum Aretinum, Plutarchi ce-  
leberrimum interpretem, & Richardum Streinnium, Ba-  
ronem Schvarzenavium, in stemmatibus gentium &  
familiarum Romanarum, & alios silentio præteream.  
Nimirum qvicqvid laudis & gloriæ, constante homi-  
num opinione, ex antiquissimæ & regiæ stirpis com-  
mendatione ad posteros proficiisci potest, id ad M. T.  
Ciceronem quoq; manasse, arbitrandum est. Qvamvis  
Lucius Johannes Scoppa lib. i. Collect. cap. 5. apud ja-  
num Gruterum, nescio quo invidiæ oestro percitus, &  
cornicum, ut dicitur, oculos confixuris laudatis auctori-  
bus ediametro se opponat, & hanc laudem Tullio dubi-  
am faciat, pro certo affirmans, eum non a regia stirpe,  
sed ab Arpinate qvodam, nescio quo, genus suum duce-  
re. Rationes, qvas adducit, prima qvidem fronte quanti-  
vis pretii esse videntur; ita tamen comparatae sunt, ut  
qvid probabilitatione reponi possit, non desit. Nullibi,  
ait, Ciceronem in scriptis suis gloriatum esse de regia stir-  
pe, qvod, cum laudis & gloriæ alias præter cæteros fuerit  
avidissimus, & seipsum creberime de rebus pro rep. ge-  
stis jactaverit, non omisisset, si salva veritate ad Reges ge-  
nus suum potuisset revocare. Consulto, opinor, & mul-  
to judicio abstinuit istac gloria Cicero; qvia Romæ diu-  
versatus, cognita & perspecta civium indole, ignorare  
non potuit, nomen ipsum Regis, post exactum Tarqui-

nium Superbum, Romanis esse invisum. Ait porro, Ci-  
ceronem non ægre tulisse, se inter homines novos a Ro-  
manis esse relatum: quid? qvod se ipsum hominem no-  
vum appellatasse; cuius nominis impositio tum temporis  
illis solum attributa est, qvorum nulli majores clari fuere,  
sed ipsi per se ipsos clari esse, & magistratus in civitate asse-  
quii inceperunt, uti ipsem et vocabulum explicat in Verr.  
Ego vero hoc singulari Ciceronis modestia, sale condi-  
ta, adscribendum esse arbitror; utpote qui parta laude  
contentus satius esse duxit, suis rebus gestis florere, qvam  
majorum opinione niti. Sed qvicqvid est, illud certe n-  
gari non potest, sed asseveratione affirmandum est, genus  
Ciceronis fuisse antiquissimum; sic enim ipse de se lib. 2.  
de Legibus sub initium, cum Attico & Qvinto collo-  
quens, prædicat: hæc est mea & hujus fratri mei germa-  
na patria ( Arpinum intelligit ) hinc enim orti stirpe an-  
tiquissima sumus: hic sacra: hic genus: hic majorum  
multa vestigia, Quid plura? hanc vides villam, ut nunc  
qvidem est, lautius ædificatam patris nostri studio: qui  
cum esset infirma valetudine, hic fere ætatem egit in lite-  
ris. Sed hoc ipso in loco, cum avus viveret, & antiquo mo-  
re parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse  
natum. Fuit igitur, credo, Tullius noster Arpinus nobilis,  
ut ipso Sole clarus appareret; sed Romæ novus homo, qvia  
majores, unde ortus erat, nulos ibi magistratus fuerant  
assecurati. Fingamus autem, obscuro Tullium nostrum  
loco fuisse natum, & in officina fullonia educatum. Sed  
qvid tum? Nihil certe ejus laudi decepit, nihil gloriae de-  
roga.

rogatum videri potest; in primis cum a teneris unctionibus vita rationes ita instituerit, & omnes ingenii nervos intenderit, ut posteris esset nobilitatis initium, & virtutis exemplum: quin imo clarissimum Ciceronis nomen & illustrius facheret, quam esset Catonum, Catulorum, & Scaurorum, quorum atria veteribus ceris, ut cum Poeta loquar, undique erant exornata. Etenim si Theocriti sententiae, quae apud Stobaeum complicatam animi sui notionem evolvit, & quid vera nobilitas sit, explicat, locus relinqitur, generosi & nobiles arbitrandi sunt non illi, qui ex illustri stirpe prognati sunt, sed qui honestatem omnibus rebus antetulerunt, id quod Ciceroni tam solenne fuit, ut nemo, qui scripta ejus cedro digna, quibus vel foliis immortalem nominis gloriam est adeptus, primoris modo labris attigit & degustavit, ignorare possit. Scilicet, ut taceam de vita ejus privata, cuius omne tempus amicorum temporibus transmittendum putavit, per annos triginta & amplius publicarum causarum Patronus, Quæstor, Aedilis Curulis, Praetor, Consul, Augur, Pro Consul, & Imperator temp. Rom. quæ & imperii magnitudine, & gloria, & optimis legibus atque institutis reliquias, quæcunque fuerunt, respublicas antecedebat, multisq; post se parasangis omnes relinquebat, tanta prudenter, tanta fide, tanta integritate, tanta innocentia, tanta virtute gubernavit, ut, dum in vivis esset, salutem patriæ, cui natum esse profitebatur, sartam tectam conservaret, suo vero nomini laudem immortalem inveniret, eamque ad seræ posteritatis memoriam propagaret:

id

id qvod multis antiqua prosapia fretis, sicubi pone se  
ipsos latuerunt, fuit denegatum. Maximæ omnino &  
amplissimæ fuerunt hæ laudes, qvibus Cicero Romæ flo-  
ruit; ea tamen omnium ratio fuisse videtur, ut æquali-  
bus etiam fuerint communnes, qvi in rep. Romana vel  
generis claritudine præstantes, vel sine claris natalibus,  
virtute duce, comite fortuna, per omnes honorum gra-  
dus, ab infimo ad summum, iverunt. Verum enim ve-  
ro haut scio, an ulli Romanorum post conditam urbem  
tam felici esse licuerit, ut primo urbis conditori, Romu-  
lo, par haberetur, præterqvam M. Ciceroni; in cuius  
consulatu accidit, ut, cum L. Catilinam, nobilissimi ge-  
neris virum, sed ingenii pravissimi, ut Eutropius eum  
nominat, audacia furentem, scelus anhelantem, pestem  
patriæ nefarie molientem, non armis & vi, sed sola voce  
ejecisset, conjurationis locis, P. Lentulo, C. Cethego,  
& reliqvis ultimo suppicio affectis, alter Romulus no-  
minaretur: propterea qvod ille urbem primum institu-  
isset, hic autem primus conservasset. Si unquam alias  
oratio Ciceronis exultavit & triumphavit: nunc certe  
maturum & opportunum tempus fuit visum, ut se ex-  
tolleret, & propria virtute gloriaretur: cum senatus  
consulto verbis amplissimis ei gratia agerentur, qvod  
urbem incendiis, cæde cives, Italiam bello liberaverat;  
cum ab universo populo, verba præeunte M. Catone,  
pater patriæ primus salutaretur: cum supplicatio ejus  
nomine Diis immortalibus, ad omnia pulvinaria, de-  
cerneretur: cum primus & solus in toga triumpharet,

ce-

cedant, inquietus, arma togæ, concedat laurea lingvæ.  
Sed ne putidiusculus Tibi L. B. videar, hic subsistit;  
ne quid autem a me hic fictum arbitriis, in hanc rem  
citabo testes locupletes, Salustum, Vellejum, Livium,  
Florum, Valerium, Plinium, Dionem Cassium, Appia-  
num, Asconium, &c, qvæ instar omnium esse possunt,  
ipsis Ciceronis monumenta. Nam consilium mihi  
non fuit, laudibus hujus viri lumen hoc scripto accen-  
dere; cum ad has seqvendas, qvæ terrarum orbem im-  
pleverunt, Cicerone laudatore, ut Livius ait, opus esse  
videatur: discipulis tantummodo nostris faciem præferre  
volui ad hunc auctorem, qvem iam tunc in oculis ferunt,  
qvem insinu gerunt, qvem insuccum & sanguinem (neq;  
hoc arroganter dictum existimari velim) quotidie con-  
vertunt, de pereundum: in primis vero materiam &  
argumentum præsentis actus indicare volui, in quo XII.  
adolescentes, ad præclaram fortunam exspectati, ingenium,  
stylum, memoriam, & actionem, quisq; pro virium  
modulo, exercere, & conatus suos qvalecunq; Dominis  
Auditoribus publice ostendere constituerunt.

### IN PROLOGO.

*Detleff Giebler primo præsentis actus argumentum ex  
M. T. Ciceronis orationibus, qvas in Catilinam habu-  
it, brevissime enarrabit: tum indolem, ingenium, edu-  
cationem, adolescentiæ studia, & totius vitæ cursum L.  
Sergii Catilinæ, multis quidem & corporis & fortunæ  
dotibus commendabilem, sed pluribus animivitiis con-  
spersum, ad illum diem, cum velut alter Amphiaraus in*

perniciem voluntariam non casu aliquo incideret, sed  
præceps rueret, vivis quasi coloribus velut in tabula e Sa-  
lustio descriptum exhibebit. Deniq; commilitonibus  
suis, judicium de Catilinæ conjuratione detecta & publi-  
ce vindicata, in confessu summorum virorum, pro suate-  
nitate repræsentaturis audientiam faciet: qvod fieri  
posse arbitratus est, si & dicentium imbecillitatem excus-  
et, & Dominos Auditores, ut linguis favere, & in bal-  
butientium oratorum conatibus benevole acqviescere  
velint, ea, qva par est obseruantia, roget atque obse-  
cret.

### CAJUS POMTINUS PRÆTOR.

Johann *VVilhelm Reinbeck*, senatum Romanum,  
publica auctoritate iusliss, convocat, & judicij publice  
habendi necessitatem indicat, qvia, cum foris omnia ar-  
mis civium, fide sociorum, & virtute Imperatorum do-  
mita sint, rumsculi caleant, in sinu & visceribus urbis  
belli intestini periculum latere; qvod, nisi nascens in  
herba, uti ajunt, suffocetur, si vires diuturna mora ac-  
qvirat, averti, saltem ad salutem converti, non posse vi-  
deatur.

### FAMA.

Cujus personam aget Johann Anton *Philippi* ex  
machina quasi, uti in Tragoedijs fieri consuevit, appar-  
et, & cum Senatum, tum Qvirites, de præsenti rerum  
statu non parum sollicitos, de origine & incrementis  
Catilinariæ conjurationis edocet: omnes, singulos &  
& universos, sceleris & flagitii hujus ce participes dete-  
git:

git: nefanda Catilinæ facta non solum in ipsa conspiratione, sed longe ante perpetrata, licet ab oculis hominum fuerint remotissima, effutit: eumq; bonis omnibus suspe&ctum reddit & invisum. Ad postremum pro suo a superis concessso augurio & divinatione funestum Catilinæ interitum ominatur. Antea vero, ut partes suas, qvas sibi sumvit, provirili tueri poscit, id operam dabit, ut Famam, uti eam a Pœtis & fabularum scriptoribus descriptam & depictam invenimus, habitu, gestibus, & voce repræsentet: in primis, qvia loquax est Fama, virtutes suas ad ravim usq; prædicabit & extollet.

LUCIUS VALERIUS FLACCLIS. PRÆTOR.

Gustav Christian Francke, non vana esse affirmat, qvæ Fama effutivit, qvia non temere unquam in civitate nascatur, nec temere occidat rumor popularis, uti se a majoribus accepisse ait: tum metum a Prætore Pomtino excitatum verbis auget: denique, judicii habendi maxime necessarium tempus videri, confirmat. Idem confirmingant interloquentes, C. Pomtinus, Syllanus, Cato, Cæsar, & Cicero.

Nunc demum in scenam prodit, L. SERGIUS CATILINA, Furiis qvæ agitatus, cujus partes suscepit. Gottlieb Hans Lemcke, qui abrupta oratione orditur: de injuria sibi illata queritur: in senatum, & in primis in Ciceronem vehementissime invenitur: & se incendium suum ruina urbis extincturum, ubi ad Manlia na castra protectus erit, affirmat, jurat, minatur.

M. T. CICERO.

Paulus Wilhelmus Tamnus, sva de L. Catilinæ, rogar eundem, obsecrat, & hortatur, ut urbe, uti constituit, exeat, adhibito triplici argumentorum genere, scilicet moribus, rationibus & affectibus, in primis illud monitum, quod lib. i. Officior in culcatur, ut observet, enixe allaborat; nimurum ut apte, distincte, atque ornate dicat. Ea vero uititur lenitate, ut, quem interficere S. C. dudum potuerit, ei sva deat, ut exeat rube; quem auctoritate sua in custodiā & carcerem dare possit, eum roget, ut iter dudum meditatum maturet; quem legibus, ut in exilium abiret, cogere posset, eum hortetur, ut sponte urbem purget. Promittit præterea, se id operam daturum, ut aperta porta Salvus exire possit! Quo facto, Catilina amentia furens abiit, excessit, evasit, erupit, & cum aquila sua argentea ad Manlii castra profectus est, palam patriæ bellum illaturus.

SCRIBA PUBLIUS.

Franciscus Daniel Posselius, Senatus Consultum ex scripto recitat, quo L. Catilina hostis patriæ judicatur, & bona ejus voci præconis, hostia in foro posita, subjiciuntur.

C. POMTINUS, PRÆTOR.

Johann Wilhelm Reinbeck, senatui exponit, quæ post fugam Catilinæ in ponte Milvio acciderunt, ubi justi Consulis legatos Allobrogum, & T. Vulturium, nocturno temporecepit, & Romam reduxit; qua expeditione omnia Catilinæ consilia sunt manifestata;

Omnes

Omnis socii, qui in urbe fuerint, deprehensi, convicti,  
& in custodiam dati sunt. Monet præterea senatum,  
ut abjecta mora, in consultando pergent, & de sociis  
conjurationis, qui in custodiis tenentur, sententiam fe-  
runt: ipse quidem censet, capitali cunctos suppicio  
esse afficiendos, ne quis post hac simile facinus Romæ  
audeat patrare.

### DECIUS SYLLANUS.

Franciscus VVilhelm Francke, sententiam rogatus  
censet, P. Lentulum, C. Cethegum, L. Statilium, P. Ga-  
binium, L. Cassiuni, M. Cæparium, P. Furium, Q. Ma-  
gium Chilonem, P. Umbrenum capitali suppicio esse  
afficiendos, propterea quod bellum patriæ sunt moliti.  
Hac occasione Patres Conscriptos revocat in memori-  
am belli Syllani, non solum funesti, sed etiam post ho-  
minum memoriam crudelissimi & maxime formi-  
dulosi: & quid hac tempestate, nisi periculo forti-  
atimo mature obviam eatur, & mali flamma, antequam  
latius serpit, prudenti consilio restinguatur, timendum  
sit, pluribus docet.

### LUCTATIUS CATULUS.

Johann Stats Conrad Krauhaupt, sententia Decii  
Syllani contradicit, in mitiorem partem inclinans, &  
captivos non solum carcete liberandos esse, sed etiam  
consilii contra patriam initi, cum scelus effectu suo ca-  
ruerit, veniam esse dandam multis argumentis ad  
ipsam causam accommodatis probare & evincere anni-  
titur.

## CAJUS JULIUS CÆSAR.

*August Henrich Bromberger* Iuadet, ut reorum bona sub corona vendantur, ipsis in custodia in municipiis, quæ maxime opibus valent, teneantur, sine ulla spe liberationis; id qvod fieri posse credit, si senatus consultum fiat, ne quis in posterum audeat, coneturve de iis ad senatum & populum referre: capitale vero supplicium omnino improbat, duobus potissimum argumentis inductus, primo qvia ira, aliaqve vehementiores animi motiones novum judicium suggestisse videri possunt, quarum imperium e judiciis publicis, ubi de rebus ad summam reip. pertinentibus agitur, omnino sit eliminandum: deinde qvia novum hoc exemplum videatur, ex quo plurima mala in rem publica manare in posterum possunt; id qvod præsentis & prisci temporis comparatione demonstrat.

## M. PORCIUS CATO.

*Johann Drake* sententiæ Luctatii Catuli & Cæsaris se opponit, eaqve refutata, capitali suppicio reos, uti D. Syllanus antea judicaverat, dignos esse censet. Multa simul immiscet de corruptis Romanorum moribus, in primis de avavitia magistratus, & parentium luxuria, vitiis ad interitum totius reip. accelerandum comparatis. Hic interloquitur L. Valerius Flaccus & C. Cæsar, qui sententiæ Luctatii Catuli contradicunt: D. Syllanus & Cicero in sententiam M. Catonis pedibus eunt: idem facit L. Pomtinus, qui simul Scribam publicum e scripto recitare jubet, quæ in senatu de tota causa sint decreta.

SCRI-

## SCRIBA PUBLICUS.

Franciscus Daniel Posselius ordine e scripto recitat,  
qvæ in freqventi senatu, præsenti judicio, acta sunt &  
transacta.

## IN EPILOGO.

Johann Severin Seeger primo docet, cum conjuratione Catilinaria indissolubili nexu bellum cohæsisse, qvod tamen Dii immortales, pro suo in remp. Rom. amore, prudenti magistratus consilio averterunt. Deinde in eam cogitationem Dominos Avid. adducit, ut si altius in semetipsos descendere velint, & illud, qvod de Cœlo descendisse Poëta ait, *Nosce te ipsum*, meminerint, cogitent, non Catilinam fuisse solum seditionum; sed omnes omnino homines ab Adamo descendentes, ejusdem criminis esse reos: eoqve minus mirandum esse, si bello, seditionis & scelerum vindice, ubi diphtheram suam inspicit Jupiter, gravissime coérceantur. Tum, sublati ad Cœlum manibus, supplex Detin O max: deprecatur, ut bellum flammam, qvæ in vicinia exarsit, pro sua clementia restinguat. Denique omnibus & singulis, qui Auditores & Spectatores hujus actus asse voluerunt, gratias agit immortates, & prosperrima qvæque iis apprecatur,

Sic vides, B. L. actus hujuscce argumentum, perorantium ordinem, & orationum, qvas habituri sunt, dispositiones: an autem Tuæ intentioni & nostræ expectationi omnia respondeant, & adolescentes nostri eas partes, qvas qvisq; sibi sumsit, tueantur, id, credo, rectius coram spectare, qvam ab aliis fando accipere poteris; propterea qvod, uti Poëta ait;

Se-

Segnius irritant animos demissa per aurem,  
Qvam qvæ sunt oculis commissa fidelibus.  
Qvocirca Te, Lector honoratissime, etiam atqve  
etiamenixero go, oro, obsecro, obtestor, per eum qvidem  
amorem, qvo in artes ingenuas & bonas literas pro-  
pendere alias consuevisti, ut, sepositis aliquantisper ne-  
gotiis & curis gravioribus, ad qvæ qvidem duabus horis  
clapsis reditus datur, præsentiam Tuam crastini hora  
nona autemeridiana nobis commodare: studium ado-  
lescentiæ, qvod sine teste & laudatore torpescit, e somno  
qvasi excitare: & singulari Tuo favore ad similes vel  
majores etiam conatus eandem erigere, ne dedigneris.  
Qvod si feceris, qvod te facturum nunquam sum dissi-  
sus, adolescentibus nostris, in spem patriæ efflorescenti-  
bus, idem a te tributum esse meminisse poteris, qvod  
Tibi olim, cum nondum ætate processiles, in experi-  
endo jucundum fuit: nec est, qvod dubites, qvin sin-  
guli & universi hoc beneficium sibi hodie præstatum me-  
mori mente, dum vita suppetet, sint conservaturi. Me  
certe singulari hoc benevolentiae indicio ac testimonio  
ita obstrictum habebis, ut, qvicqvid meroges, sal-  
tem nutu signifiques, sim facturus cum  
studiose, tum diligenter.

Vale & salve.



00 A 6277 (1/40)




TA-OL

wpn8

Rebco ✓





B. V.  
RAMMA,  
Qvo  
NDISS ET GE-  
MOS DOMINOS  
RONOS,  
reliqvos  
S, FAUTORES, ET BONA-  
UM ESTIMATORES,  
Ad  
M ORA-  
RIUM,  
De  
NE CATILINARIA,  
a  
ICERONE  
publice vindicata,  
ni M. DCC. XIII.  
a Michaëlitana  
optima spei adolescentibus,  
egventi pagina leguntur,  
e habendum,  
peramanter invitat  
chim Elfeld, Rector.  
ris Cornelii Johannis Sternii.